

611

189



Sammelband

Ee 15

12
QVÆSTIONVM
MISCELLANEARVM
THEORICO-PRACTICARVM,
ex libro primo Pandectarum
Iuris Civilis desum-
tarum

CENTVRIÆ DVÆ.

Quas

Auspice Christo:

Duce Justitia:

Comite Veritate:

In inclutâ Liberæ Argentinæ Academiâ,
Sub præsidio

CLARISSIMI ET CONSVL-
TISSIMI VIRI,

DN. JUSTI MEIERI, I. V. D.

& Professoris celeberrimi,

*Publici exercitij gratiâ, pro ingenij & virium tenuitate,
respondendo tueri conabitur*

PHILIBERTVS ARVEST.

Mense Augusto,

ARGENTORATI,

Excudebat Antonius Bertramus, Academiae Typographus. Anno 1611.

**NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, OMNI VIRTUTIS AC
ERVDITIONIS LAVDE CVMVLA-
tissimis, plurimoq; rerum Politicarum usu
præstantissimis viris.**

DN. IOANNI PHILIPPO BÖCKLIN; inclutæ Argen-
toratensis Reipublicæ viro Prætorio, & Academiæ
Cancellario.

DN. IOANNI CHRISTOPHORO à RUEST.

DN. BALTHASARO à RUEST, Illustrissimi Marchio-
nis Badensis, &c. præfecto in Lhar.

DN. IOANNI SIMEONI à BRUMBACH, Maioris Se-
natus Argentoratensis, & conventus Academici Af-
fessori.

**D.D.D.D. cognatis patruisq; suis me-
dullitus, & ex animo colendis.**

**Hasce studij Iuridici primitias, exiles li-
cet, & tantorum haud dignas patro-
cinio virorum, attamen**

in

Gratitudinis meritæ tesseram,

Observantiæ debitæ notam.

Obsequij præstandi signum,

dedicat, inscribit, offert

**PHILIBERTUS à RUEST
Respondens.**

IN NOMINE DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI AD OMNIA CONSILIA
omnesq; actus semper progredimur.

l. 2. C. de offic. pref. prat. Afric.



Uoniam omne artificium exer-
citatione incrementum reci-
pit, teste Marciano Icto in *l. le-
gatis servis 65. §. Ornatricibus. D.
de legat. 3.* Et Herennius Mode-
stinus notando & disputando per usum
profecit, ut de eo refert Arcadius Charisius
libro singulari de Muneribus civilibus, *l.
Munerum. 18. §. Mixta. 26. D. de Muner. &
honorib.* Curæ & operæ precium me quoq;
facturum existimavi, si tantorum virorum
exemplum longo intervallo secutus, sele-
ctas quasdam theoreticas & practicas contro-
versias, ex libro primo Pandectarum juris
civilis desumtas, publicæ *συζητήσεαι* subijcerem,
& *καὶ δὲ ὀνόματι* defenderem. Sed quia

Ver non una dies, non una reducit hirundo:

Sic neq; sollertes brevis experientia rerum

Fert animos, multo prudentia surgit ab usu.

Ergo:

Invenies si quid quod non ubicunq; placebit,

Differ, & explora cautè meliora. Bonorum est

Cuncta Theonino non rodere dente, sed æquo

Pro genio, proq; ingenio meliora referre

Si sint in promptu. si non: communibus uti.

Sed ad rem.

A 2

QUAESTIO I.

Vvenes ex Ethicorum ἀρετῶν ἀβασίαν abesse jubet Aristoteles 1. *Ethic. Nicomach.* 3. ad jurisprudentiæ sacra invitatur Iustinianus, Rectene hic? Omnino. Non enim frustra à Veteribus dictum puto, Advocatum juvenem, Medicum senem quære.

2. An Tribonianus meritò ob compositionem, interpolationem ac derogationem iuris veteris malè audiat ac lancinetur? Absit.

3. An Tribonianus gentilis, atheus, legivendus fuerit? Credat Iudæus Apella.

Dicat quis, Hesy chius in Catal. Ill. Viror. & Procopius id testantur. R. Hesy chius gentilis, Procopius Belisarij comes & assecla fuit: at quis aulicorum æmulationes ignorat.

4. Num Institutiones Digestis, & utrisq; Codex deroget? A.

Ex Titulo 1. de Inst. & Iur.

l. Iuri. 1.

5. Cum, monente Ulpiano, juri operam daturum prius nosse oporteat unde nomen juris descendat, meritò hinc quæritur, an jus à justitia appelletur? A.

6. Num Ius natura, an opinione constet?

Distinguo. Ius Naturale in specie dictum & Gentium primævum divina quasi providentia constituta sunt: Secundarium verò jus gentium & jus civile, quæ usu & necessitate exigente introducta, hominum prudentium consulto adinventata sunt. Hinc fit ut illa à natura ipsa, ut quo nomine Deus ipse tanquam autor naturæ ferè designatur, arcessamus: Hæc ab instituto & opinione humana, secundum quam aut constant aut abrogentur pro arbitrio. In illis quoq; diligenter principia prima & subalterna distinguenda sunt. Nam hæc varia atq; alia esse possunt apud alios, ut quæ ex applicatione ferè nascantur, quamvis illa perinde apud omnes valeant, ut ingratos nemo non vindicta ac poena dignos arbitratur, nemo tamen præter Persas capitis damnavit.

7. *Æquum*

7. Æquum & bonum an inter se differant? A.

8. Vtrum illi tantum Sacerdotes iustitiæ nominandi, soliq; immunitatibus juris gaudeant, qui in Academijs Jurisprudenciam θεωρητικὴν, seu contemplativam profitentur, an verò etiam causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt? A.

9. An, quemadmodum jus privatum, ita etiam jus publicum ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus collectum sit? A.

10. Juris publici tractatio in libris juris nostri omisane sit? N.

11. Ius an in bruta cadat? N.

12. Ecquid jure civili prohibitum sit incestuosis alimenta subministrare?

Distinguo. Aliud est alimenta non decernere, de quo *Nou. 89. c. fin. & Auth. ex complexu. C. de Incestis nupt.* Aliud est prohibere ne incestuosi alantur. Prius potuit jus civile; Posterius nec disposuit, nec disponere contra jus naturale potuit.

13. Communiter à Dd. recepta est divisio Juris gentium in primævum & secundarium; hæc licet à Jurisconsultorum traditionibus aliena sit, dubium tamen est, num omnino supervacanea sit, & non commodioris doctrinæ gratia tolerari possit?

Posterius affirmo.

l. Veluti, 2.

14. An in una civitate diversitas religionis toleranda? A.

Si civitas ita sit perturbata, ut sine totali internecone, aut sine sanguinis effusione res componi nequeat, tum enim quiescendum ac tempori aliquid condonandum, sicuti medici in morbis gravioribus quandoq; plus proficiunt quiescendo, quam movendo & agendo.

15. Num Princeps vel magistratus religionem possit cogere? N.

A ;

Suaden.

Suadenda fides, non imponenda, ait Bernhard. serm. 66. col. 1046
sup. Cant. & vulpes vineas devastantes capiantur, sed argumentis, non
armis. Idem serm. 64. col. 1034. Edit. Basil.

16. Vtrum filius magistratus, seu Potestas, patri privato,
loco cedere, atq; assurgere debeat?

Distinguendum puto, quo in loco & qua de re agatur. In ijs quæ
ad magistratus sui munus pertinent, atq; eo in loco, ubi pro magistra-
tu filius agnoscendus est, cedere debet pater, atq; honorem filio de-
ferre, non quatenus filius, sed qua magistratus est. Extra hanc cir-
cumstantiam, & in privatis ædibus & negotijs, debet filius patri cede-
re, illi assurgere, se hominem illiusq; partum & partem agnoscere.

17. Sitné parendum & obsequendum parentibus in
omnibus? A.

ἡμετέρις πέντα, Coloss. 3. v. 20, sed ἐν κυρίῳ Ephes. 6. v. 1.

18. An servile ministerium præstare debeant liberi pa-
rentibus, qualia sunt lectum sternere, pedes lavare, mini-
strantes ijs astare, humeris subvehere, ægrotis adesse?

Bilem domicellorum nonnullorum metuo, sed tamen affirmare
cogor.

19. Num par honor patri & matri debeat?

Si de jure civili quærat, potiora sunt jura patris: si de divino aut
naturali, nihil plus patri tribui videtur quàm matri.

20. Vtrum liberi honestioris conditionis ampliorisq;
fortunæ, parentes viliores debito honore afficere de-
beant? A.

l. Ut vim. 3.

21. In quotidiana & nobilissima defensionis materia
primo loco disquirendum: An defensio cum modera-
tione inculpatæ tutelæ sit omni jure permissa, adeoq; ju-
ris naturæ, gentium & civilis rectè dici possit? A.

Licet autem formam à jure civili habeat, non tamen cum Corasio
& Connano eandem absolutè, sed tantùm quoad approbationem, ju-
ris civilis esse statuo.

22. An insultatus ab alio primum ictum expectare te-
neatur? N.

23. In

23. In dubio vitæ discrimine constitutus an fugere debeat? A.

Si sine vitæ periculo fugere possit.

24. Differentiam nonnulli, nobilibus blanditi, constituerunt, inter nobiles & plebeios, hos fugere teneri, illos non item, affirmantes, an rectè, dubitatur? N.

25. An paritas armorum in hac defensione sit necessaria?

Geometricam potius, quàm Arithmeticam proportionem, habito diligente omnium circumstantiarum respectu, æstimandam esse statuo.

26. Num moderamen inculpatæ tutelæ adversus patrem, fratrem concessum sit? A.

Contra Bodinum *lib. 1. de Repub. c. 4.* qui hoc sine impietate affirmari non posse putavit.

27. Vtrum parentes liberorum, cives patriæ, mariti coniugum, sponsus sponsæ, fratres fratrum & sororum, affines affinium, discipuli præceptorum, subditi magistratum, famuli dominorum, socij sociorum, amici amicorum, vicini vicinorum, & tandem omnes omnino homines aliorum iniuste offensorum propugnationem atq; defensionem jure suscipiant, nec poenam homicidij proillarum personarum tuitione inculpatè commissi ullam sufferre cogantur? A.

28. An quis ad alterius, in periculo vitæ constituti, defensionem jure teneatur?

Cothurno versatiliores sunt interpretes. Placet V. C. Dn. Obrechtii in tr. de Defensione c. 7. n. 40. & seqq. distinctio. Aut is qui aliquem periclitari videt, est in magistratu, vel privatus. Si magistratus videt aliquem suæ jurisdictioni subiectum, in periculo vitæ constitutum, illi omnino succurrere tenetur, si potest. Si privatus alicui periculum imminere videt, subdistinguo: An ex hoc periculo parricidium, vel crimen læsæ maiestatis, an verò commune aliud maleficium oriri possit. Parricidio, vel crimine læsæ maiestatis imminente, quilibet periclitanti opem ferre, & tanto sceleri resistere debet, adeo ut
eo nomine.

eo nomine insidias struentem rectè interficiat. Si verò non parricidium, vel crimen læsæ maiestatis, sed aliud crimen imminet, tum diligenter considerandum, an quis periclitanti sine propriæ vitæ discrimine possit succurrere, vel non possit. Si potest, æquum est, & juri consentaneum ut periclitantem proximum adiuvet. Si verò privatus absq; vitæ iactura, periclitantem tueri non potest, ad opem ei ferendam non tenetur.

29. An moderamen inculpatæ tutelæ ad vitæ civilis, seu bonæ famæ defensionem extendi possit? N.

30. Si Plebeius virum nobilem & in dignitate aliqua constitutum conyitijs laceffat & insectetur, an nobilis per vim existimationem suam tueri & impunè plebeium occidere possit? N.

31. Num provocatus, si in ædibus, aliòve loco tuto commoretur, ad duellum vel certamen provocanti, honoris defendendi causâ comparere debeat? N.

32. Controversia orta est in aula quadam inter duos nobiles, quæ cum nulla ratione finiri posset, à principe, ut sibi duello eandem sopire liceret, impetrarunt; quæsitum est, Vtrum is qui ex consensu Principis duello pugnat, & adversarium occidit, excusari possit? N.

33. An contra hominem furiosum vim inferentem liceat se armis defendere? A.

34. Num propter rerum sive bonorum defensionem in vasorem occidere permissum sit? N.

Nisi simul cum bonorum ac rerum defensione vitæ periculum concurrat.

35. An furem equo proprio, vel mihi surrepto insidentem, & cum rebus meis aufugientem, si aliter eum assequi & apprehendere, vel res meas recuperare non possim, sagitta aut globo tormentario transverberare & transfigere, atq; ita impunè occidere permittatur? N.

36. Vtrum is qui aggressorem non servato moderamine incul-

ne inculpatae tutelae occidit, ordinariâ legis Corneliae de sicarijs poena, an verò extra ordinem, pro arbitrio judicis, plectendus sit?

Posterius affirmo.

37. Quidam confessus est se Titium occidisse, sed ad sui defensionem; quæritur, utrum ordinariâ delicti poena afficiendus sit?

Ordinarijs poenis, si qualificatam illam confessionem & præsumptionem delicti alijs probationibus, & verisimilitudinibus, ut Practiciloquuntur, evacuare non possit, eum subijciendum statuo.

l. Ex hoc jure. 5.

38. An dominiorum distinctio sacris literis & rectæ rationi sit contentanea? A.

39. Stipulatio utrum juris gentium, vel civilis?

Posterius affirmo.

40. Num & emphyteusis?

Origo eius ex jure gentium: forma à Jure civili.

41. Literarum obligatio, & donatio propter nuptias cuius juris?

Civilis.

42. Actionum origo cui juri adscribenda?

Cuius juris est contractus, eius erit & Actio ex eo descendens.

l. Jus civile. 6.

43. An lectio librorum iuris civilis utilis sit etiam ijs qui proprijs moribus reguntur, licet Romanis legibus non utantur? A.

44. An scriptura sit de forma legis?

Non est de forma essentia, est tamen de forma existentia.

l. Omnes. 9.

45. Num civitates liberae Imperiales, die Freyen Reichsstädte contra jus commune statuta possint condere? A.

46. Vtrum consensus superioris ad statuta necessarius sit? A.

B

Si statu-

Si statuentes superiorem recognoscant.

47. Statutis ecquid statuentes obligentur? A.

48. Statutum valet in civitate, ut nemo in collegium opificum recipiatur, nisi qui probaverit legitimam suam nativitatem: quæritur, Num filius expositus, vel, ut quidam appellant, jactatus, in collegium sit recipiendus? N.

49. Vtrum familijs civitatum concessum sit statuere, ut in certis bonis masculi, exclusis foeminis, succedant? A.

50. Statutum Polonorum, quo nobilibus hominem interficientibus certa pecunia cadaveri imposita, pœnam redimere licuit, rectène à Stephano Bathori sublatum? A.

51. An legitima liberorum statuto tolli possit? N.

Minui tamen posse non diffiteor.

52. Num & parentum? N.

53. Quid de legitima collateralibus debita?

Ea statuto non tantum minui, sed & planè tolli potest.

54. Vtrum valeat statutum, ut pater ex delicto filij legitimam solvere teneatur? N.

Vsu tamen receptum est.

55. Valèntne statutum disponens, ut uno agnatorum delinquente, ceteri agnati teneantur? A. N.

56. An statutum, ne ad Cameram Imp. appelletur, valeat? N.

Pactum tamen tale valet.

57. Dubitatum fuit, an valeat statutum collegiorum sartorum, sutorum, &c. ne quis extra opificium uxorem ducat, besondern muß in das Ampt oder Zunfft freyen? A.

Si modò quædam adsit cum quâ licitè matrimonium contrahè possit.

58. Statuto in quibusdam locis cautum est, ne certorum quorundam opificum liberi, puta textorum, chirurgorum, pastorum ovium, molitorum, publicanorum, tibicinum, balneatorum, in collegia opificum, & ad publicas functiones recipiantur, rectène? N.

59. Valétne statutum opificum, ut, quod unus coepit alteri perficere non liceat, Was einer auß den Zunfftge-
nossen angefangen/der ander nicht außmachen dürffe? N.

60. Testamentum condidit advena in quadam civitate secundum statuta loci, coràm duobus vel tribus testibus; quæritur, an utrobique vires obtinere debeat? N.

61. An, quoad causam intestari, statutum alicuius loci in personam conceptum, liget forensem etiam quoad bona saltem sub statuentium jurisdictione sita? N.

62. Vtrum statutum quod ultimarum voluntatum solennitatem auget vel minuit, producat & extendatur etiam extra territorium, quoad hoc, ut in bonis ubique etiam extra territorium sitis tale testamentum à subdito factum ratum sit, ita ut heres in omnibus bonis ubique sitis, & in universum jus testatoris possit succedere? A.

63. Num res feudales in statuentium territorio sitæ statutis subiaceant? N.

64. An laïcorum statutis clerici parere teneantur? N.

65. Valétne statutum ne ex territorio statuentium frumentum & farina exportetur? A.

l. Iustitia. 10.

66. An Vlpianus hinc iustitiam divinam, an verò humanam definiverit? Posterius assero.

67. Vtrum universalem, an particularem?

Posterius A.

68. Num in concreto, an verò in abstracto?

Prius A.

69. An hodiè in delictis & honoribus, ut quidam putant, iustitia distributiva sublata? N.

70. Sunt qui scribunt, hodiè reperiri non posse vel unicum, in omnibus nostris legibus, iustitiæ distributi-
væ exemplum, rectène? N.

B 2

§. Iuris

§. *Juris præcepta. 1.*

71. An his tribus præceptis juris triplex officium Icti
contineatur? N.

72. Sub primo num reliqua contineantur? N.

73. Vtrum quod honestum, nec aliud quàm quod ho-
nestum jure civili præcipiatur? A.

74. An ut jure civili, ita etiam jure Canonico concubi-
natus permissus? A.

Contra Dd. communiter. Sed quid hac de re disputamus, cum
omnibus obviam sit, & tanquam in theatro publico conspicuum, ul-
tra omnem hominum memoriam à clericis usurpatum esse morem,
ut non unam modò focariam, sed oblectamenti, variæq; Veneris cau-
sa plures habere, uniusq; amissæ desiderium, duabus tribusve ordina-
rijs, extraordinarijs infinitis, resarcire liceat: quod quando mos est,
crimen nunc non est, c. obijciuntur 32. q. 4. Ut tamen ego concubina-
tum probem, pietas honestasq; prohibent.

75. Num tertium præceptum duo priora contineat? N.

76. An quandoq; alterum decipere & circumvenire li-
ceat? A. Si fiat *ἔμπεικῶς*.

77. Vtrum plura sint juris præcepta, quàm hæc tria? N.

§. *Jurisprudentia.*

78. An jus & Jurisprudentia differant? N.

79. Num Jurisprudentia sit scientia? A. *ἐν πλάτει*.

80. Vtrum Ars? A. *ἐν πλάτει*.

81. An illud *Rerum divinarum & humanarum notitia*,
commune sit Jurisprudentiæ cum philosophia? N.

82. Num Jurisconsulti optimi artium adiu-
mentis indigeant, ad exactum suæ professionis munus?

Tria hîc invenio judicia hominum. Alij nihil planè in ICTO desi-
derant quàm Juris, hoc est, legum & paragraphorum cognitionem &
Alij, futuro Iurisperito philosophandum, sed ut Neoptolemus ille
apud Ennium, paucis arbitrantur. Alij, sine liberalium & maxima-
rum artium peritia, stare non posse juris disciplinam credunt. Hi
omnium optimè sentiunt.

Tit. 2.

Ex Tit. 2. de Origine Iuris, &c.

l. 2. §. Exactis. 3.

83. Dubium est, quænam sit lex illa Tribunitia cuius hic fit mentio?

Iunius Brutus Tribunus Celerum legem ad populum tulit de eijciendis regibus, *l. 2. §. iisdem. 15.* Ea lege lata Curiatæ & Regiæ leges exoleverunt.

§. Deinde cum esset. 8.

84. Plebiscita pro legibus observari coepisse Pomponius ait, sed dubitatur, An lege Horatia, an verò lege Hortensia?

Vtrumq; verum. Primus Horatius rogationem tulit, ut plebiscitum nobiles æquè ac plebei teneret. Postea eadem lex confirmata est, vel lata iterum à Q. Hortensio:

Ex Tit. 3. de Legibus, Senatusq; consultis &c.

l. 1. & 2.

85. Numæ lex est, apud Festum *lib. 4.* Qui liberum hominem sciens morti duit, parricida esto. Cum ergo eum; demum homicidam damnet, qui consulto vim cædemq; perpetravit, non immeritò dubitet quis, an rectè Papi- nianus *in l. 1. h. t.* legem definiverit, quòd sit delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur coërcitio: Item Marcianus *in l. 2. eod.* ex Demosthene, quòd sit ἐπανόρθω- μα τῶν ἐκούσιων καὶ ἀκούσιων ἀμαρτημάτων?

Rectè uterq; ait legem coërcere seu corrigere delicta involuntaria, sed non omnia. Quæ fato potius quàm culpæ ascribuntur, fortunam tantùm in ijs culpari sinit lex benevola. v. g. si fortè telum à venatore in feram missum casu prætereuntem interfecerit. *l. 11. §. 2. D. de penis.* Sic imperitiæ & rusticitati culpam non habenti parcit, *l. 7. §. 4. D. de Iurisd.* Ignorantiæ verò, quæ cum culpâ consilioq; malo coniuncta, non ignoscit. *l. 2. D. de termino moto. l. 21. §. 2. D. de Furtis. l. 18. §. 3. D. de Minorib. l. 5. §. 1. D. de servo corrupt.*

l. Iura. 3.

86. An rectè Theophrastus, Aristotelis discipulus, jura constitui oportere in his quæ *ἴπνι τὸ πλεῖστον*, id est, ut plu-
B 3 rimum,

rimum, accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου, id est, ex inopinato, statuerit? A.

l. Iura. 8.

87. Vtrum leges constituentur de singulis personis, an generaliter tantum?

Posterius A.

l. 20. & 31.

88. An omnium quæ in jure sunt debeat & possit reddi ratio? A. Si quis non ut canis in Ægypto ad Nilum, bibere & fugere velit. Sed excipiat quis cum Marciano, *in d. l. 20.*

Non omnium quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. Et cum Neratio, *in d. l. 21.* Et ideo rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportet: Alioquin multa ex illis quæ certa sunt subvertuntur.

Replico. Nihil minus Ictis nostris in mentem venisse puto, quam ut citra rationem quid olim constituerint. Quamvis enim in plerisque illa vel ob sensum vel ob antiquitatem primo adspectu abstrusior appareat, accurata tamen investigatione facilis clarescit & enitescit. Interim verò omnium in jure rationem solidam indagare ociosis convenire non diffiteor. Multa enim jus nostrum nobis suppeditat, quorum rationem si solidiorem cupias reddere, eadem ratione, quod ait ille, cum ratione insanias.

l. Princeps. 31.

89. An Princeps, sive Imperator, olim jam olim legibus solutus fuerit?

Legibus scriptis merè civilibus ab ipso latis solutum fuisse statuo, contra quas si voluerit & necessitas civilis ita exegerit, sine exprobratione venire potuerit, si noluerit. hoc ipsi liberum. Hinc Augustinus in quadam epist. ait: Imperatorem non esse subiectum legibus, qui habet in potestate alias leges ferre, non temerè quidem, sed ex justa causa & re publica, atq; adeo habere etiam potestatem confirmandi ea quæ non jure facta sunt. Et Ioan. Coral. ait: cum princeps legum civilium

viliū auctōr sit, absurdū esse videtur ut ijs ipse teneatur: Nemo enim sibi ipsi legem ferre potest. Princeps itaq; non debet tali legi subijci, cuius ipse ferendæ & abrogandæ plenam ac summam potestatem habet. Cum enim ipse legis sit author, ideo lex in eum, ut latorem, auctoritatem habere nec potest, nec debet: & cum ipse summā potestate præditus superiorem non agnoscat, ideo nemo est hoc casu, qui ipsi civiliter imperet: idq; non tantum verum est de jure à seipso constituto: siquidem nemo sibi ita legem dicere aut ponere potest, ut sibi postea ab eadem recedere non liceat. *l. 22. in pr. de legat. 3.* Bald. *in l. Clari. C. de Fideicom. Panormit. in c. præ illo. de Præbend.* Sed etiam ab antecessoribus ipsius constituto; cum par in parem imperium non habeat. *l. 3. in fin. & l. 4. D. de Recept. qui arbit. recep. l. 13. §. 4. D. Ad Scm. Trebell. c. Innotuit. 20. de Elect.* & quamvis his omnibus princeps solutus sit, seipsum tamen ijs subijcit, non ex debito, coactione, necessitate, vel obligatione aliqua, qua subditi obedire coguntur, sed motu spontaneo & liberrima voluntate, ad quam publicæ honestatis, utilitatis, modestiæ, & naturalis æquitatis consideratione movetur. *l. unic. §. 14. Ibi. nec Augustū privilegiū exercemus. C. de caduc. toll. l. 2. C. Theodos. de Cond. & hom. dom. Aug. §. ult. Inst. Quib. mod. testam. infirm. l. 4. C. de ll. Paulus 4. sent. t. 5. §. 3. Isidor. can. iustum. 2. Distinct. 9. l. 2. §. 10. D. ad l. Rhod. de jact. l. 3. C. de Testam. l. Ex imperfecto. 23. D. de legat. 3.* Imperator ergo eo ipso quod legibus se subijcit, personam suam quasi exuit, assumptā personam privati, atq; ita de jure suo remittit, lege interim imperij manente salva & incolami: qua distinctione inter voluntatem & necessitatem principis, tanquam ense Alexandri, omnes leges, quæ de obligatione principis agunt, instar Gordij nodi uno quasi ictu dissolvi possunt. Sed legibus, quæ non sunt merè positivæ, nec ab ipso principe primum latæ, sed à Deo humanæ naturæ tanquam scintillæ quædam divinæ justitiæ impressæ, & ex ratione vel gentium jure ortæ, princeps absq; ullo dubio solutus non est, quia his non ut princeps, sed ut homo tenetur, & in iisdem eodem jure cum ceteris privatis hominibus utitur: ad has enim leges quod attinet, omnium omnino hominum par est ratio, nulla inter illos est prærogativa, nemo princeps, nemo subditus.

90. Vtrum Princeps sive Ecclesiasticus sive Politicus contra jus Divinum, Naturæ vel Gentium disponere, dispensare, vel quid prohibere possit? N. Am

91. An princeps jure supremæ suæ potestatis dominia privatorum invadere, & de ijs disponere queat? N.

Nisi evidens utilitas, vel salus populi, vel deniq; necessitas extrema desiderent.

92. Num Princeps ex contractibus & conventionibus cum suis subditis, vel alijs in iis teneatur? A.

93. Vtrum in vitis subditis suo arbitratu ditiones princeps diminuere possit? N.

94. An princeps Augustæ tribuat privilegia quæ ipse habet? A.

l. De quibus. 32.

95. Cum ut consuetudo pro lege servetur, necessariò requiratur primò consensus populi, quæritur, An totus populus, an maior eius pars consentire debeat?

Vtrumq; sed disiunctim contra VVesenb. *in parat. D. de l. n. 9.* assero, ita nimirum, ut vel totus populus, vel maior pars consentire debeat.

96. Quoniam diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet, quæritur, Quot annis diuturnitas ista circumscribenda?

Non decennio juris scripti auctoritate, sed tanti temporis spacio, quantum in civium animis habitum facere possit, quod iudex prudens æstimabit. Licet ex Dd. communi opinione, si consuetudo præter jus introducatur, decennium sufficere, si verò contra jus 40. annorum præscriptione opus esse non ignorem.

l. Cum de. 34.

97. Requiritur etiam actuum, non tamen difformium, frequentia, quæ, an in binis, an verò in pluribus actibus consistat, dubium est?

Posterius licet non inconcinne ex *l. 1. Ibi, probatis his quæ in oppido frequenter. C. Quæ sit long. consuetudo*, affirmari possit: iudici tamen potius dijudicandum relinquo.

98. An actus debeant esse judiciales? N.

l. Sed & ea. 35.

99. Cum

99. Cum consuetudo quæ secundum legem constituta est, non solum corroboret & confirmet legem, verum etiam eam interpretetur, *d. l. sed & ea 35. cum seqq.* dubitatur. An tanta sit vis consuetudinis ut legem possit vincere?

Distinguo inter legem vigentem, & illam quæ desuetudine ferè obsoleta. De posteriore A. de priore N.

l. Immò. 36.

100. An consuetudo in scripturam redacta juris non scripti nomen amittat? N.

Licet enim aliquando accidat, ut consuetudo in scripturam probationis, memoriæ & observantiæ causa redigatur, hoc tamen inde non efficitur, ut consuetudo, siue ius non scriptum esse desinat, quod ex consuetudinibus Feudalibus, Parisiensium, Burgundiæ, Bituricensium, Aurelianensium, Thuronensium & aliarum nationum clarescit.

l. Nam Imperator. 38.

101. Vtrum rerum iudicatarum auctoritas vim legis habeat, adeò ut iudex eodem modo iudicare cogatur, quo alij antea iudicaverunt; an potius neglectis exemplis & aliorum iudicijs, ex jure & legibus iudicare debeat?

Rebus rectè iudicatis vim legis attribuo.

l. Quod non. 39.

102. Primarium requisitum consuetudinis est ut sit Rationabilis: Quænam autem talis sit inter Interpretes non convenit.

Generaliter quidem eam rationabilem dici existimo, quæ moribus eius Populi, vel Urbis, in qua viget, accommodata, utilitatem civium respicit: sed quia nihil certi hac de re jure nostro cautum reperitur, quænam in singulis speciebus rationabilis sit, iudicis arbitrio committendum censeo.

103. An valeat consuetudo, quæ libris mercatorum simpliciter credendum statuit? N.

N si concurrat tum integritas & probitas mercatoris, tum causæ qualitas & magnitudo debiti.

104. Vtrum rationi consentanea consuetudo, quâ sepultura

C

pultura

pultura defuncti causâ debiti impediri, & cadaver arresto detineri permittitur? N.

105. Valétne consuetudo, ut in causa feudali parium electionem solus habeat dominus, exclusâ electione vassalli? N.

106. An rationabilis sit consuetudo, ut magistratus loci ex naufragio afflictorum bona rapiat? N.

Pari quoq; ratione malè in locis aliquot iudices seu magistratus rerum furtivarum, in admissio, ut loquitur Papinianus in *l. si dominus. D. de Præscript. verb. apud furem deprehensarum*, dominium sibi vendicant.

107. Vtrum consuetudo iniusta à poenâ excuset? A.

Si sit consuetudo publica, non si privata alicuius hominis.

108. Num in facti naturâ scelerati & turpis consuetudine de poena legitima aliquid remittendum? A.

109. Colophonis loco hîc quæritur, An per assertionem Doctoris excellentis consuetudo probetur? N.

l. Totum. 41.

110. An distributio totius juris ex hoc Vlpiani responso desumi possit? N.

Extit. 4. De Constitutionib. Princip.

l. Quod principi. 1.

111. Quo tempore lex Regia introducta?

Augustus primus omnium legibus solutus fuit, decimo ipsius consulatu: eoq; tempore lex Regia lata; sed sub Vespasiano repetita, & de novo quasi confirmata fuit. Probat hoc monumentum ipsius legis Regiæ, quod hodierno adhuc tempore Romæ in Capitolio extat, translatum eò à S. P. Q. R. ex templo S. Ioannis in Laterano, quod est in monte Cœlio, Gregorij XIII. Pontificis auctoritate, ac in pristinum suum locum repositum; cuius verba non marmoreis lapidibus, (ut Bodinus falsò asseruit) sed æneæ tabulæ incisa hodiè etiam extant.

112. Num interlocutio Principis vim legis obtineat?

Non per se, sed ex principis placito.

113. Vtrum

113. Vtrum error in literis vel in constructione commissus, viciet rescriptum Principis?

Error in literis rescriptum non viciat: Error verò in constructione commissus nocet.

114. Rescripta ad lites an sint perpetua, an verò anno expirent?

Prius A.

115. Rescriptum ab uno impetratum, an pro sit alijs rem communem habentibus? N.

116. Si princeps has clausulas suis edictis, rescriptis, decretis, vel beneficijs inserat, veluti, ex certa scientia: non obstante jure ullo vel privilegio: ex absoluta potestate vel plenitudine potestatis, quæritur, quæ sit earum vis, qui effectus?

Si princeps non potest, etiamsi velit, tollere privatorum contractus, & testamenta &c. quid refert, ipsius rescripto, clausulam *ex certa scientia* contineri? Quæ plurimum potest in his, quæ princeps potest: in illis autem, quæ ab eo sciente, atq; etiam omnino volente fieri nequeunt, dicta clausula nihil efficit: quamvis vel generaliter, vel in specie concepta quoque fuerit clausula, *non obstante*. Nam cum in principe desit potestas, nihil agitur. Quid multis? clausulæ istæ & similes omnes spicula & flabella Gnathonum & fumi venditorum sunt, quibus bonus princeps corrumpitur: sunt tyrannidis irritamenta & velamenta.

117. Non ἀπαξ ἢ δις, sed διὰ τὸ πλεῖστον accidit, ut homines improbi machinationibus, & insidiosis artibus Rescripta Principum & mandata obtineant; hinc quæritur, An liceat de indultis beneficijs disceptare, atq; in eorum veritatem & justitiam inquirere? A.

Quia omnia principum rescripta hanc semper tacitam conditionem annexam habent: *Si preces veritate nitantur*. Quocirca pars adversa, adversus quam tale quid impetratum est potest comparere, & exceptionem vel obreptionis (in qua reticetur veritas) vel

Surreptionis (in qua committitur falsitas) Phormionicis istis technis opponere, quæ ad probandum omnino admitti debet,

Ex tit. 5. De statu hominum.

l. Omne. 1.

118. An secundum Baldum *ad Rubr. D. de I. & I. n. 6.* juris obiectum unum, sc: Homo, rectè possit constitui?

Quamvis solus homo juris actiones excipiat, & excipiendo ad extremum civilis societatis bonum ducatur, potius tamen Triboniani, quàm Baldi vestigijs insistendum puto.

119. Num duo sint juris obiecta, Dominium & obligatio? N.

120. Vtrum toleranda sit Bodini, *in distributione Juris universi*, opinio, dum pro tertio juris obiecto, quod in actionibus consistit, facta ac dicta personarum substituit? N.

l. Summa. 3.

121. Rectè Caius, quòd omnes homines aut liberi sint, aut servi: sed de statuliberis dubitatur: Hi enim cum nomine tum re à ceteris servis separari videntur, *arg. l. 7. C. de Codicill.* atq; interim à ceteris servis nihil differre dicuntur, tam in causis civilibus, quàm in pœnis, *l. Statuliberi 29. D. de Statulib.* quid ergo statuendum?

Servi sunt si sortem præsentem spectes, *d. l. 29. l. 6. l. 16. D. Eod. l. 11. De legat. 2.* at quia implicitus conditioni eorum est casus libertatis, *l. ult. D. Si ex noxali caus. agatur.* puniuntur ut liberi propter delicta interea perpetrata, *l. 14. D. de Questionibus*, non quia liberi sint, aut medij inter liberos & servos, sed quia conditionis eventus ambiguum faciat, an retrò alterutrum, liberi vel servi fuerint, *ex reg. l. Necessariò 8. D. de Peric. & commod. rei vend. l. Proinde 8. D. de Reb. cred. l. Potior. 11. D. Qui pot. in pig. juncta l. 1. & S. 1. D. de Pœnis.* Vnde benignior pro libertate fit interpretatio, *ex reg. l. Quotiens. 20. D. de Reg. Iur.*

122. Adscriptitij quibus annumerandi?

Servis eosdem cum Donello *2. comm. 9.* contra nonnullos, hac vice, annumerabimus.

l. Libertas

l. Libertas. 4.

123. An servitus sit secundum, an verò contra naturam?
Illud dicit Aristot, *1. Polit. 3.* Hoc læti.

124. An servitus inter Christianos sublata? A.

125. Vtrum capti à Turcis, Persis, Sarracenis & simili-
bus gentibus, capientium servi efficiantur? A.

126. Cum in locum veræ servitutis, posteriorum Ro-
manorum colonaria & adscriptitia, & hodiè rusticorum,
& in quibusdam locis, hominum propriorum conditio
sucefferit, quæritur, Quoniam subditi tenentur nobili-
bus zu baußühren des Rittersizes/ si nobilis plures filios
relinquat, qui sibi novas ades extruere volunt, an rustici
ad novas illas domos operas convehendi præstare cogan-
tur? N.

Nisi majores ipsorum etiam ad illa loca materiam convehere sint
soliti.

127. Vtrum contra eum qui pro servitijs tempore lon-
gissimo uniformem pecuniam sumsit, jus servitorum sit
præscriptum? A.

128. Est & servitus quædam nostrorum ministrorum &
aliorum hominum mercenariorū, de hac quæritur: An
infirmis & ægrotantibus ministris & mercenarijs, tan-
quam non operantibus, merces detrahenda & dimi-
nuenda sit? N.

129. An locator operarum, invito conductore, in æta-
te meridionari, hoc est, post prandium, tempore meri-
diano, aliquantulum valerudinis ratione, quieti se tra-
dere possit? A.

130. Ecquid famulis & ancillis merces debeatur, si ante
tempus conductionis finitum, sine justis causis ex famuli-
tio discedant? N.

131. Famulus conductus per annum, si interim domi-

mus moriatur, an nihilominus totius anni mercedem possit consequi? A.

Si modò alteri servitium non locavit.

132. Si famulus nondum finito anno moriatur, an heredibus eius integrum salarium debeatur?

Non nisi pro rata.

l. Qui in utero. 7.

133. Qui in utero est perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quæritur: hinc dubium, an hoc fiat, ut Dd. volunt, fictione juris, an verò ex prærogativâ quadam?

Posterius A.

l. In multis. 9.

134. Cum in multis juris articulis foeminarum deterior sit conditio, quàm masculorum, quæritur, An hominis appellatione & foeminæ contineantur? A.

135. V. C. Iacobus Cuiacius *6. Obs. 21.* foeminam propriè non esse hominem, asserit: Matth. Wesenbecius *in parat. D. ad l. Cornel. de Sicar. n. 5.* Hominem de viro propriè accipi, tradit; quæritur an rectè uterq; hoc ex *l. si quis 38. §. Qui abortionis D. de pænis*, probaverit?

Invitus licet ab his in aliena castra discedam, quia tamen liberè philosophandum, utrumq; paululum errasse puto. Quæstio enim *in d. l. si quis §. Qui abortionis*, à Paulo tractatur: Quomodo puniendus sit is, qui alicui abortionis poculum propinavit, scilicet, ut partus abigeretur; hanc quæstionem ita decidit: Si, inquit, eo (sc: poculo abortionis) perierit mulier (quæ poculum abortionis bibit, & de qua certò jam constat, non inarè sed foeminam esse) aut perierit homo (sc: in utero matris adhuc existens, neq; dum editus, de quo cum dubitatur, & certò sciri non potest, fitnè mas vel foemina, Ille dicitur homo: quo nomine non erratur, licet enim non constet, an mas vel foemina sit in utero, de eo tamen non dubitatur, quod homo sit: Nam simile sibi simile gignit) summo supplicio adficiatur. Monitus meliora sequar.

l. Quæ-

l. Queritur. 10.

136. Queritur, Hermaphroditum cui comparamus?

Eius sexus æstimandus, qui in eo prævalet. Hinc cum Marchio quidam feudum dedisset Titio, ea lege, ut ad filium, si esset masculus, pertineret, aliàs non, & natus Hermaphroditus esset, quærereturq; an in feudo succederet, respondit Bald. *in l. Quoties. C. de suis & legit. hered. & in c. 1. de Alien. feud. pat. rectè succedere, si magis in eo virilis sexus incalescat, secus si foemineus.*

l. Septimo. 12.

137. An octavo mense natus sit justus & legitimus? A.

138. An nono? A.

139. An decimo? A.

140. An undecimo? A.

Si sub initium mensis nascatur.

141. Si mulier statim post obitum primi mariti nubat, & nono mense pariat, utrum partus secundi mariti præsumatur? A.

Ex titulo. 6. De his, qui sui, vel alien. juris.

l. 1. & 2.

142. Cum nimia dominorum asperitas in subditos principalibus constitutionibus coërceatur, in tantum, ut & feudo jurisdictioneq; sua dominus privari possit, qui potestate sua abutitur, dubia suborta est quæstio illa: An princeps pro elocanda filia collectam à suis subditis licitè exigat?

Quamvis hoc Mynsingero 5. *Obs. 21. n. 3. & 4.* placeat, & usus Germaniæ passim probet, contrarium tamen studio disputandi defendere conabor.

l. Item. 3.

143. An jus potestatis patriæ, de quo hoc loco, sit proprium civium Romanorum? A.

144. Pater ex Constantini Imp. constitutione, propter nimiam paupertatem egestatemq; victus causa filium filiamvê

liamvè sanguinolentos rectè vendit, sed quæritur. Si non quidem famis & inediæ, sed alia quadam necessitate pater urgeatur, veluti, si captus ab hostibus occidendus sit, nisi certam pecuniæ summam exolverit, an hoc casu filium possit distrahere? **A.**

145. Anne idem matri licet? **N.** *A*

146. Vtrum jus vitæ & necis in liberos patribus malo exemplo ademptum, & an restitui & in Rempublicam Romanam quasi postliminio revocari debeat? **N.**

Contra Bodin. 1. de Repub. 4.

147. Cum potestati patriæ vicina sit potestas Maritalis, five ea quam habet maritus in uxorem, quæritur: An mulier sit in potestate viri?

Si eam interrogabis, constanter negabit. Augustinum *in lib. qq. Genes. q. 53.* & Gratianum. *can. Est ordo. & can. Mulierem 33. q. 5.* si consulueris, aiens responsum auferes.

148. Sed concedamus illi, subblandientes ipsius libertati, quod sit libera à viri potestate; anne curæ mariti ipsam absq; metu sandaliorum addicere audebimus?

Maximè: Non enim, credo, reclamabit, illi si confirmem, quod contractus initos, curatorem habens, servare non teneatur. Est enim mulier natura sua animal avarum.

149. Offendemusne, si ulterius progredi licet, aures mulieris, si eam & à potestate & curâ mariti, placitis civilibus exemptam dicamus?

Minimè. Sed utut sit, ne nimium huic sexui, aliàs licentia deteriori, tribuamus, in potestate aliqua meritò erit, quæ in duobus consistit. 1. In coniugali obsequio. 2. In servitijs tantùm obsequialibus. Mulier enim omni lucro concordiam maritalem præferre debet, *l. 5. C. de Inst. & subst.* Quinetiam in officio mariti esse tenetur, *l. Sicuti. 48. D. de oper. libert.* Illiq; reverentiam debet, *l. Alia. 14. in fin. D. Sol. matr.* Paul. *Ephes. 5. vers. ult.* Hæc præcepta si violet, ægrè ferre non debet, si morosa, non morigera viro suo, pro osculo quandoq; colaphum ab ipso auferat. *arg. can. Placuit. 33. q. 2.*

Ex

Ex titulo 7. De adoptionib. & Emancipat.

l. Generalis. 2.

150. Vtrum quæ in arrogatione intervenit rogatio, stipulatione perficiatur? N.

151. Cum arrogatio fiat Principis seu Imperatoris auctoritate, quæritur; An reliqui Principes, Electores, Duces, Marchiones, Comites, Barones & similes, Imperatorem tanquam superiorem recognoscentes, inter suos subditos auctoritatem arrogationi celebrandæ interponere possint? A.

l. Magistratum. 4.

152. An adoptio rectius actus legitimus, quàm legis actio dicatur?

Vtrumq; rectè. Prius εἰδικῶς. Posterius γυνικῶς, Omnis enim legitimus actus est legis actio, sed non è contra.

l. In omni 13.

153. Si nobilis det se in adoptionem plebeio, an desinat esse nobilis? A.

l. Nec ei. 17.

154. An pupillus à tutore arrogari possit?

N. Cuiac. 2. Obs. 38. Vbi ei videtur pugnare *l. Nec ei. 17. cum l. Nonnunquam 32. h. t.* Sed si istas leges rectè inspiciamus, dicendum fortè, thematicis in *pr. d. l. 17.* propositi generalitatem, mox in *§. seq. in vers. vel sanctissima affectione, &c.* coarctari, quæ etiam in vitrico esse potest. *d. l. 32.*

l. Si adrogator. 22.

155. Num quarta, quæ impuberi arrogato, & postea sine justa causa emancipato, vel exheredato debetur, sit omnium bonorum, an verò portionis solùm ab intestato ipsi debitæ?

Prius affirmo.

156. Quid futurum si quis plures arrogaverit? Vnde singulis omnium bonorum quartam in solidum assignabimus?

D

Forlan

Forſan ex d. l. Nec ei. 17. §. Præterea. 3. plurium arrogationem non
permitti aſſeremus; Pluraliſenim locutio duorum numero eſt con-
tenta, arg. l. 12. D. de Teſtibus. Neq; uſquam apparet quinque ſimul ado-
ptatos fuiſſe. Aut, Principem in arrogatione etiam quoad quartam,
auctoritatem & arbitrium ſuum interponere poſſe, ſtatuemus. Quod
ſi uno contextu plurium arrogatio facta ſit, omnibus una aſignanda
quarta; ſi plures ſucceſſivè ſint arrogati, qui primus fuerit arrogatus
ſubſequentium portiones imminuet.

l. Per adoptionem. 35.

157. Num plebeius à nobili adoptatus, nobilis fiat? A. *N.*

Si gentem, non ſi genus ſpectes, niſi hoc adoptione apud princi-
pem facta ſpecialiter agatur.

158. An ignobilis ab avo materno nobili adoptatus
nobilitetur? A. *N.*

159. Ad adoptionis ſimilitudinem in Germania paſſim
recepta eſt Coniunctio ſive unio Prolium, die *Einfinds
ſchafft*/ de qua dubium eſt, an ſit juri conveniens? A.

160. An parentibus per unionem prolium libera te-
ſtandi facultas prærepta ſit? N.

161. Si unio prolium ſub conditione natiſſimorum libe-
rorum facta ſit, an unio illa, ſi nulli deinde liberi natiſ-
ſimur, quoad liberos ſibi unitos concidat & non ſubſiſtat? A.

Ex titulo 8. De Diſiſſione Rerum, &c.

l. Summa. 1. l. Quædam. 2.

162. Eſt & quarta rerum diſiſſio, hîc omiſſa, ut aliæ ſint
mobiles, aliæ immobiles, quæ maximè utilis eſt, quoties
agitur de ſatiſdatione, venditione rerum debitoris & pu-
pilli, de communionem inter coniuges, hypotheca, præ-
ſcriptionibus, retractu & Laudemijs: Hinc quæritur: Par-
tes metallicæ, vel argentifodinæ, *Bergtheil*/ quibus an-
numerentur?

Immobilibus: *Fruſtus verò, die außbeute*/ mobilibus Practici ac-
ſentent.

163. Qui-

163. Quibus annui reditus?

Quamvis alij perpetuos, rebus immobilibus; temporales, mobilibus annumerent. Tutior tamen videtur distinctio quæ sumitur ex obiecto: Vt immobilibus, si ex re immobili debeantur: Sin ex re mobili, puta pecunia debeantur, mobilibus accenseantur.

164. Pensiones exigibiles, vertagte/betagte/námhafftige oder fällige Zinße bey leben des Verstorbenen/ quibus annumerantur?

Mobilibus.

165. Pecunia quibus?

Si consideretur in concreto, ut corpus, inter res mobiles & corporeas refertur. Si valor spectetur, in numerum incorporeorum reponitur.

166. Num pecunia emtioni immobilium destinata, in numerum rerum immobilium sit reponenda, nec ne?

Distinguo. Aut redacta est ex venditione immobilium & rursus destinata emtioni immobilium, & rebus immobilibus accensetur. Aut ultrò destinata est: & subdistinguo. Si est destinatio simplex, (v. g. si Titius dixerit: Ego his mille aureis emam immobilia) censetur mobilis, cum simplex destinatio nullum producat effectum. Si destinatio est proxima perfectioni, (v. g. si Titius emerit rem immobilem & nondum soluerit precium, quod tamen solutioni destinatum) ratione obligationis, pecunia, fictione quadam, habetur pro immobili.

167. Quid si pecunia ex venditione rei immobilis sit redacta?

Mobilis est.

168. Pecuniam transcriptam, seu ad cambium collatam; item pro conservatione patrimonij repositam, so ein Hausvatter im Vorrath ligen hat/ quibus accenses?

Immobilibus.

169. Nomina & actiones quibus?

Revera neq; ad mobiles, neq; ad immobiles, sed incorporales referenda sunt; Si tamen necessitas urgeat, ut nomina ad unam speciem,

mobilem scilicet, vel immobilem referantur, tum pro ratione rei cui accedunt, vel ad rem mobilem vel immobilem pertinent.

170. De piscibus & avibus dubitatum fuit?

Communiter receptum est, eos easque, qui quæve in vivario, vel aviario propagationis & perpetuitatis, vel, ut nostri loquuntur, sobolescendi causa concluduntur, immobilibus annumerari.

171. Quorsum molendina refertur?

Aut rei immobili sive solo cohærent, & tunc inter res immobiles computantur. Aut sunt 1. Molendina quæ aquis supernatant & solo non cohærent, vulgò Schiffmûlen. 2. Molendina quæ à ventis moventur, Windmûlen/die man anderstwo hinsetzen fan/ & terris non sunt affixa, inter bona mobilia numerantur.

172. Quid navis?

Res mobilis.

173. An quis mare vel aliquem maris usum aut Iurisdictionem possit præscribere? A.

Quoad usum & jurisdictionem, non autem quoad proprietatem, quæ aliqua præscriptione vel consuetudine præscribi nequit.

l. Nemo igitur. 4.

174. Cum jus piscandi non solum in mari, sed & fluminibus adeò publicum sit, omnibusque pateat, ut iniuriarum actio contra prohibentem detur, *l. Iniuriarum. 13. §. ult. D. de Iniur.* quæritur: Si quis in diverticulo fluminis publici solus pluribus annis piscatus sit, an alium eodem jure uti volentem prohibere possit? N.

175. An liceat cuique in flumine publico non navigabili molendinum ædificare? A.

l. In tantum. 6. §. Sacra.

176. An res Deo semel consecrata, alienari possint? N.

Sed non Saturnino more. Excipio enim casum Necessitatis, Evidentis utilitatis, Pietatis.

177. Res Ecclesiasticæ etiam in impios usus erogata, num in privatum patrimonium, vel fiscum Reipublicæ, an verò

an verò in meliores, magisq; pios & Deo gratos usus,
convertendæ?

Posterius affirmo.

178. Maxima fuit olim sacrarum ædium immunitas,
libertasq; ut etiam asyla quædam & periculi perfugia fu-
erint, à quibus neminem eripere fas erat? Hinc quæritur:
Num templa Christianorum hodiè etiam rectè asyla pos-
sint constitui? A.

Certis tamen adhibitis conditionibus. 1. Ne pateant ἐν προαίρεσι
τοῖς ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις. 2. Ne fontes iudicio depræhensi
prætextu & occasione asylorum effugiant: quo nomine ijs qui præ-
sunt asylis, pœna est constituta. 3. Ne sint frequentia. De his per dis-
cursum in ipsa disputatione prolixius.

§. Religiosum.

179. Si in diversis locis ossa membræ eiusdem corpo-
ris sint sepulta, erunt né tot loca religiosa? N.

Sed ille locus erit religiosus, ubi principale, id est, caput conditum.

l. Cum in diversis 44. D. de Relig. & sumtib. fun.

180. Num monstroso partu locus fiat religiosus? N.

181. An pro mortuis in commune cœmeterium infe-
rendis aliquid exigi possit?

N. Iure Canonum. Secus est, si vel pecunia vel aliud quiddam sponte
liberaliterq; hoc nomine offeratur: Et si consuetudine rationabili in-
troducitur sit, ut sepulturæ nomine laici aliquid exolvere cogantur,
ut habeant clerici, unde vivant. Ita factum opus est, ubi bona usibus di-
vinis consecrata, vel alienata, vel dilapidata.

182. An *d. §. Religiosum, versic. In commune*, lectio &
Florentina & Norica defendi possit? A.

§. Cenotaphium. & l. Sed Divi. 7.

183. An Cenotaphium sit religiosum?

Marcianus in *d. §. Cenotaphium* affirmat. Ulpianus verò in *l. Sed
Divi. 7. ut & l. vel quod. 6. §. 1. D. de Religios. & sumtib. fun.* ait, Divos fra-
tres contra rescripsisse. Distinguo inter Cenotaphia. Aliud ad nu-
dam tantum memoriam vel honorem peregrè mortui erigebatur, de

D 3,

hoc.

hoc Divi fratres. Aliud sepulchri relligione colebatur, ubi aræ essent
excitatae, vocatiq; manes. De hoc Marcianus. Testis est Virgil. vel
3. Æneid.

*Libabat cineri Andromache, manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi de cespite inanem,
Et geminas causam lacrumis sacra verat aras.*

Vel 6. Æneid. de tumulo Palinuri.

*Et statuent tumulum, & tumulo sollennia mittent,
Æternumq; locus Palinuri nomen habebit.*

Vel Deiphobi.

*Tunc egomet tumulum Rhetæo in littore inanem
Constitui, & manes magnâ ter voce vocavi.*

l. Si quis. II.

184. Muros Romæ qui transenderit, capite punitur;
Quæritur; num eadem poena affici debeat, qui muros cu-
iuslibet municipij, vel civitatis præter Romam transcen-
derit? A.

Ex titulo 9. De Senatoribus.

l. Senatoris. 9.

185. Uter ex duobus regijs filijs quorum alter ante ade-
ptum à patre regnum, alter postea natus est, præferatur?
Pro primogenito pugnabo.

186. Num hodiè sint & dari possint, qui antiquis sena-
toribus æquiparentur?

Veram imaginem Senatus Romani, senatum Venetum exprime-
re, pulchrè explicat Guerinus Piso Soacius in tractatu de Romano-
rum & Venetorum magistratuum inter se comparatione.

Ex titulo 10. De officio Consulis.

l. Unica.

187. Minor viginti annis Consul apud se manumittere
non potest, cum ipse sit, qui ex Scto consilij causam exa-
minat, *h. l. §. 2.* Dubium est, an non pro *Ex Senatuscon-
sulto*, legendum sit, *ex lege?*

Ita

Ita puto. Vide §. Eadem Inst. Qui & ex quib. caus. manum. non poss.
Aut certè facta sunt Seta circa legem Æliam Sentiam, quod & indicat,
l. 4. C. Qui man. non poss. Vide Cuiac. in notis ad d. §. Eadem, & 4. Obs.
31. & 15. Obs. 13. Hotoman. levi commutatione emendat, ex sententia,
7. Obs. ult.

Ex titulo 11. De officio præfecti prætorio.

188. Controversum est, quis nunc præfecto Prætorio comparetur?

Budæus huic præfecto prætorio nullum magis similem esse, quàm Cancellarium arbitratur. Verùm ab hac æquiparatione recedit Ioan. Pyrrhus lib. 1. & 2. de Magistrat. putatq; Cancellarium similem potius esse Quæstori candidato. Accursius præfecto prætorio Cardinales æquiparat, quod displicet Pisoni Soacio in tract. de Roman. & Venetor. mag. int. se comp. Cum Electore Saxonie præfectum prætorio comparat V Vesenbecius. Cum septemviris Imperij omnibus Otto Melander. Hodiè antiquis præfectis prætorio comparandos existimo duos apud Turcas Beglerbeos, ut alter sit Thraciæ, alter Asiæ h. e. Anatoliæ. Ideam antiquioris notæ præfectorum prætorio præcedente seculo exhibuit Alexander Farnesius, Dux Parmæ & Placentiæ, & Ioan. Zamoiscius Archicancellarius & generalis exercitusuum regni Poloniæ Dux.

Ex titulo 14. De officio Prætorum.

l. Barbarius 3.

189. Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset, Romæ præturam petijt, & prætor designatus est, quaeritur, an ei servitus obstiterit? N.

190. An, ut interpretes vulgò ex hac lege eliciunt, Communis error jus faciat? N.

Quamvis enim error facti juri constituendo occasionem præbeat, nunquam tamen error juris constituti causa.

Ex titulo 16. De officio Proconsulis & Legati.

l. Omnes. 2.

191. An, ut apud Proconsulem, ita & apud legatum eius manumitti servi possint?

N. Marcianus

N. Marcianus in d. l. 2. §. 1. & Vlpianus in l. Nec adoptare 3. A. Paulus in l. Apud 17. §. 1. D. de Manumiss. vindict. Antinomiam hinc nobis Tribonia-
 m incuriã relictam nonnulli tradiderunt. Alij distinguunt inter lega-
 tum in provinciam ingressum & non ingressum, Duar. c. 3. de Offic.
 Procos. Robert. 1. Rec. Lect. 28. Lud. Charond. 1. Verisim. 3. Pacius Cent.
 1. q. 46. Hotomann. inter legatum præsentem & absentem distinguit.
 3. Obs. 4. Cuiac. d. l. Apud. Procos. 1. Obs. 1. emendat. Sed vid. Hotom.
 lib. 2. Amicab. Resp. c. 1. Quid si sic? Rectè Marcianus in d. l. 2. §. 1. Apud
 legatum Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet ju-
 risdictionem talem: & Vlpian. in d. l. 3. Nec adoptare potest, omnino
 enim non est apud eum legis actio. Imò, ut ait Pomp. in l. 13. Eod. Le-
 gatus Procos. nihil proprium habet. Sed cum exceptione, nisi ei
 fuerit à Procos. mandata jurisdictio. Hoc enim factò, & iudices, l. 12.
 & tutores dare, l. pen. h. t. cognoscere de custodijs, l. 6. Eod. & suspectis
 tutoribus, l. 1. §. 4. D. de suspect. tut. Consequenter & apud eum manu-
 mitti potest, d. l. Apud 17. §. 1. aliàs non item, secundum d. l. 2. §. 1. l. 3. h. t.

l. Legati. 13.

192. Legati Procos. nihil proprium habent, nisi à Pro-
 cos. eis mandata fuerit jurisdictio: A contrario igitur man-
 data jurisdictioe aliquid propriũ habent. Qui enim ante
 mandatum, proprium quicquam esse negat, idem post
 mandatum proprium aliquid esse affirmat. Sed annon
 obstabit l. 1. §. 1. D. de Offic. eius cui. & l. Solet 16. D. de Iuris d.
 ubi traditur, eum qui mandatam jurisdictioem suscepit,
 proprium nihil habere, sed eius qui mandavit jurisdictio-
 ne uti?

Benè Cuiacius 7. Obs. 21. Legatus Proconsulis jurisdictioem ha-
 bet suo jure, licet non ante, quàm sit ei mandata, quam utiq; ei man-
 dare cogitur Procosul; non enim optat ipse sibi legatum, sed ei datur
 quasi adiutor.

Ex titulo 18. De officio Præsidis.

l. Illicitas 6. §. Veritas.

193. Ex hoc §. Dd. eliciunt quæstionem. An iudex judi-
 care debeat secundum conscientiam, an secundum alle-
 gata & probata?

Martinus

Martinus antiquus glossator conscientiam. Ioannes acta & probata defendit. Vterq; suos habet asseclas. Sed facti quæstio est, non iuris: decidenda igitur ex diversis circumstantijs pro boni & æqui ratione.

§. *Qui universas.*

194. Cum non debeat gaudere maioribus, qui non gaudet minoribus, *l. Cui pacto. s. in fin. D. de servis exportand.* quî fit, quod Præses, qui universas provincias regit, jus gladij habeat, & in metallum dandi potestas ei permessa sit, jus tamen deportandi non habeat, *l. 6. §. 1. D. de Interd. & Relegat. l. 1. in pr. D. Quando appelland.?*

Quia jus gladij tantum Præses, & jus damnandi in metallum habet, & strictè accipiuntur quæcunq; ex mero imperio magistratui permittuntur. Hotom. 3. Obs. 12. opinionem, qui volet, amplectatur.

Ex titulo 21. De officio eius cui mand. est Iurisd.

l. Quæcunq; 1.

195. Num ex h. l. probari possit, lictos nostros antiquos jurisdictionem generaliter acceptam, sic in imperium & jurisdictionem distribuissè, ut adoptionis duo genera, arrogationem & adoptionem specialiter ita dictam, fecerunt?

Minimè gentium.

196. Celebris est illa controversia, quæ ab Imperatore Henrico Lucelburgensi, Lothario & Azoni lictis proposita fuit: Vtrum præter Imperatorem, & alij Magistratus merum imperium habeant?

Lotharius Cæsaris gratiam captans, solum Imp. merum habere imperium respondit. Azo verò defendit, merum imperium in Imp. quidem tanquã fonte residere, sed nihilominus alios magistratus hanc potestatem habere. Illius fortè, quo solius populi Romani erat animadversio, recta: huius verò, pro magistratibus concludentis, hodierno tempore, verior est opinio: Vt non iniuriã se equũ, haud æquã iudicis sententia amisissè, in summa Codicis, *de Iurisd. n. 14. in fin.* conqueratur.

197. An merum imperium mandari possit?

Nec civili, nec Pontificio jure (quod tamen interpretes volunt) à politico magistratu mandari potest. Dico à Politico magistratu, nam

E

Eccle-

Ecclesiasticū, quando de sanguinis effusione agitur, merum imperium
jure Canonico mandare posse, non ignoro. *c. Illud 23. q. 4. c. sicut. 2. q. 7.*
c. 2. de Offic. Vicar. in 6. Clem. 1. §. 1. de Hæretic.

198. An mixtum imperium mandari possit?

A. contra Dd. communiter.

199. Regula est: Publici iudicij exercitationem, seu merum
imperium mandari non posse: Exceptio est; nisi is cui me-
rum imperium competit abesse cæperit: quæritur; an ex-
ceptio sit generalis, ut Dd. volunt, pertinens ad omnes
meri imperij species; an specialis, duntaxat ad legem Iu-
liam de vi respiciens? Posterius affirmo.

200. An, quod de absentia dicitur, ad infirmitatem
porrigi debeat & possit? N. Contra interpp. comm.

P A R E R G A.

1. An Ecclesiarum nostrarum pastores alantur eleemosynis, an ve-
rò sui laboris debitâ mercede? *Posterius assero.*
2. An Episcopi & alij Ecclesiarum pastores feuda possidere & in-
terdum seculares & civiles curas possint suscipere? A.
3. Vtrum Episcopis civiles contentiones audire, easdemq; dirimere
liceat? A.
4. Num præstet Ecclesiarum ministros vivere ex stipendijs magi-
stratum, quàm ex oblationibus fidelium? *Posterius A.*
5. An Theologus iniuriarum actione conveniri possit, si pro con-
fessionis revelatione verbis iniuriosis quempiam notaverit, & offenderit? N.
6. Theologus si ut testis producat, an compelli possit ut secreta
confessionis revelet? *Minimè.*
7. Vtrum nobilitas Ictorum plumaria, *uti eam nominat Fr. Pfeil Con-
sil. 197.* ex jure civili probari possit? N.
8. Num Doctores, qui ex rescripto & bulla gradum, ut loquuntur,
acceperunt, privilegijs & insignijs Doctorum solenniter promotio-
rum gaudere debeant? N.
9. Sabbatina quæstio est, An advocatus, quod nomine palmarij sive
victoriæ promissum est, si causa, cuius patrocinium suscepit, multa
& diversa habeat capitula, & in uno vicerit, in altero succubuerit;
num totum & integrum, an verò partem eius tantum, jure petere pos-

fit? Si capitulum, in quo vicit advocatus, maius sit ceteris, & prævaleat, totum palmarium rectè petere potest, aliàs nihil consequetur.

10. Vtrum Ciceroni, disertissimo Romuli nepotum, & fori Regi, eloquentia fructuosa & aurifera fuerit absq; nota & jactura existimationis? N.

11. Num medicinæ rectè Iurisprudencia præponatur: vel, an Medico Iurisconsultus nobilior? A.

12. An medicus, cuius imperitia ægrotus mortuus est, extra ordinè puniendus, an verò ordinariâ homicidij pœna plectendus? Prius A.

13. Num in principio, medio vel fine curæ, ab ægrotato, Medico salarium sit exolvendum? Posterius communiter Dd. placuit.

14. Medicus prænosens mortem ægrotantis vicinam, cuius curam habet, an ei denunciare teneatur, quæritur? Distinguo.

15. An medico, curato semel ægrotato, & in pristinum morbum recedente, novum salarium debeat, an verò ægrotum (ut loquuntur) recidivantem, pro eodem salario curare debeat? Distinguo.

16. Vtrum cadavera punitorum, & maximè suspensorum, sive cruciariorum Medicis ad anatomen concedenda. A. contra Empiricos Veteres.

17. An supplicio destinati vivi medicis tradendi sint, quibus incidendum pectus præbeant,

*Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem.*

N. cum Empiricis antiquis, quorum meminit Cornel. Celsus lib. 1. contra Herophilum & Erasistratum.

18. Num rectè Vlpianus in l. 1. S. 4. D. de Extraord. cognit. Philosophos numero professorum non habendos censeat? A. Si dextrè Vlpiani mentem, secundum tempora & mores sui seculi intelligere velimus.

19. Vtrum Philosophi rectè à Q. Septimio Florente Tertulliano, lib. adversus Hermogenem, p. 339. edit. Basil. de anno 1550. & ab Hieronymo in epist. ad Ctesiphontem ex eo citante, Patriarchæ hæreticorum dicantur: an Philosophia sit concussio veritatis, ut idem Tertullianus lib. de Anima p. 640. 641. an hæreses à philosophia subornentur, ut idem ait. lib. de Præscript. advers. hæreticos, p. 97. an deniq; philosophi ranis & insectis, quibus Deus percussit Ægyptios gl. Iur. Canon. rectè comparet? N.

20. Astronomia an sit licita jure civili & canonico? A.

21. Vtrum & Astrologia? Distinguo.

F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]




AB 153 876


X 2615953

2

V. 17







12
TIONVM
ANEARVM

-PRACTICARVM,
no Pandectarum
ivilis desum-
tarum

RIÆ DVÆ.

Quas
ce Christo:
e Justitia:
e Veritate:

e Argentinæ Academiâ,
o præsidio

MI ET CONSVL-
IMI VIRI,
MEIERI, I. V. D.
oris celeberrimi,

pro ingenij & virium tenuitate,
do tueri conabitur

TVS A RVEST.
ense Augusto,

NTORATI,
us, Academia Typographus. Anno 1611.

